



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus  
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

**Luxemburgi, 1741**

Clemens IX.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74514)

ANNO  
1660.

& elatione ponatur, nullaque in hac eadem re alia ratio efficax à summis etiam & sanctissimis viris pro se ipsis quoque continendis adhiberi unquam potuit, quam hujus Petrae soliditati firmissima, & perquam absolutissima in omnibus adhaesio & obedientia. Si quid enim in hac parte nedum peccatum vel minimum sit, sed etiam non diligentissimè & exactissimè ab initio cautum, & curatum, vix dici profectò potest, quòd res paulatim delabatur. Speramus planè de pietate, & Catholicae Religionis Zelo vestro, omni curà studioque, vos in hujusmodi rem cogitationes univasas collaturos, neque passuros in posterum, ut à debita nobis obedientia turbulentis hominis alicujus flatibus retardemini: Quin immò religiosi obsequii vestri, tam in observantia per accurata Constitutionum Apostolicarum adversus errores Jansenii, quam omnibus aliis in rebus, illustra documenta praestare vos nunquam desituros, quò magis magisque in dies eximiam, verèque paternam Caritatem nostram, atque adeò summi Dei gratiam, & protectionem demereamini; A quo vobis, dilecti Filii, totique Universitati Lovaniensi, Benedictionem Apostolicam peramenter impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 7. Augusti 1660. Pontificatus nostri anno sexto.

Eratque signatum F. Florentin.

Et in dorso subimpressus annulus Piscatoris in cera rubra. Supercriptio verò talis erat: *Dilectis Filiis, Rectori & Universitati Lovaniensi.*

Alterum Breve ad Facultatem  
Theologicam

*Dilectis Filiis, Decano, & aliis Theologicae  
Facultatis Magistris, Regentibus  
Lovaniensibus*

ALEXANDER P.P. VII.

*Dilecti Filii, Salutem, & Apostolicam Bene-  
dictionem.*

**L**itteras vestras die 20. Martii datas accepimus, & in eo sanè, quòd quinque propositiones illas, tam in Constitutione fel. record. Innocentii X. Praedecessoris nostri, quam in alia nostra postea damnatas, tantoperè detestemini, ut neminem admittere ad gradus Academicos velitis, nisi prius religiosam observantiam praedictarum Constitutionum promittat, & juret, Obedientiam, & Zelum vestrum unice commendamus, atque adeò speramus, vos nedum id egregiè per sanctèque impleturos, verum etiam omnibus aliis in hanc Sedem observantiae, & obedientiae documentis effecturos, ut omni rerum praeteritarum, ex hominum animis evulsa, & penitus abolita memoria, pristinum docus existimationi, & laudi antiquae vestrae restitatur. Ad hanc igitur salutaris obsequii gloriam verè, constanterque promerendam, quamvis uti credimus eximie currentes, vos, Dilecti Filii, etiam atque etiam, quantum possumus, hortamur in Domino. De reliquo non dubitamus, quin vos pro singulari scientiae, pietatisque studio, sanam, & incorruptam, qualem tot Apostolicae Sedis declarationes, & S. S. Patrum traditiones requirunt, doctrinam semper amplexuri, & adversus orthodoxae Religionis Hostes defensuri sitis, nec non praclarissimorum Ecclesiae Catholicae Doctorum Augustini, & Thomae Aqu-

natis inconcussa, tutissimaque dogmata sequi semper, ut asseritis, ac impensè revereri velitis: quorum profectò Sanctissimorum virorum penès Catholicos universos ingentia, & omnem laudem supergressa nomina, novi preconii commendatione planè non egent. Porro bonorum omnium largitorem Deum rogamus, ut vobis, dilecti Filii, cum pacis divina tandem Clementia restituta, prosperitate, caelestis gratiae munera tueri, & augere quotidie pro misericordia sua velit: ad quod feliciter consequendum, Apostolicam Benedictionem vobis peramenter impertimur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 7. Augusti Anno 1660. Pontificatus nostri anno sexto.

Signatum erat F. Florentin.

Et in dorso habebatur.

*Dilectis Filiis, Decano, & aliis Theologicae  
Facultatis Magistris, Regentibus Lovaniensibus.*

Eratque sub impressus annulus Piscatoris in cera rubra.

CLEMENS NONUS,  
PONTIFEX CCXLII.

ANNO DOMINI MDCLXVII.

**C**lemens, antea dictus Julius Rospigiosus, electus fuit Anno 1667. at Anno 1669, amissa Candiâ pra dolore vitam finiit. (*Magni Bullarii Romani hujus Edit. Luxemb. 1727. Tom. VI. fol. 234. App.*)

Indultum Parlamento Parisiensi inter alia concedens, quòd Indultarii in Commendam obtinere valeant Beneficia Regularia eis collata in vim Indulti citrà necessitatem providendi Regularis &c. Anno 1668.

CLEMENS EPISCOPUS,

*Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.*

**S**ummi Regis Regum providentiâ, qui humilitatem nostram evexit, universalis Ecclesiae ac Sanctae Sedis Apostolicae regimini praesidentes, ad ea semper intenti sumus, per quae ejusdem Sedis benignitas in dies magis ac magis elucescat erga omnes, & praesertim eas personas, quae Regis Ministeriis mancipatae, earum indefessis studiis, laboribusque in publicum Ministerium, & populorum utilitatem operam navant, idque eo libentius exequimur, quo id à nobis eorundem Regum vota exposcunt. Sanè charissimus in Christo Filius noster Ludovicus Francorum Rex Christianissimus, suo & dilectorum Filiorum modernorum Cancellarii, Praesidentium & Consiliariorum suae supremae Curiae Parlamenti Parisiensis nominibus, nobis nuper exponi fecit, quòd aliàs, postquam felicitis recordationis Eugenius Papa IV. Praedecessor noster, procurante clarissimae memoriae Carolo VII. Francorum Rege tum in humanis agente, Litteras Apostolicas in forma gratiarum expectatarum, seu mandatorum de providendo tunc & pro tempore existentibus Regni Franciae Cancellario, nec non Praesidentibus &

ANNO  
1668.ANNO  
1667.Ex Mo-  
moires du  
Clergé de  
France  
Tom. 2.  
pag. 294.

ANNO  
1668.

Consiliariis Curiae Parlamenti Parisiensis, quorum nonnulli Laici esse confueverant, ac per eosdem Laicos loco sui nominandis parentibus, familiaribus, & aliis tunc expressis de eisdem Curiae Corpore & gremio existentibus personis ad omnium, & singulorum Episcoporum, Abbatum & Capitulorum, ac aliorum ordinariorum Collatorum Regis Franciae collationes, & alias quaslibet dispositiones, ita ut Cancellario, Praesidentibus & Consiliariis, Clerico seu Personae per Cancellarium, Praesidentes, aut Consiliarios, seu aliam personam dictae Curiae Laicam, & ad obtinenda Beneficia Ecclesiastica non capacem, nominatae, ad eisdem Caroli, & pro tempore existentis Regis, nominationem, uni ex eisdem ordinariis Collatoribus per suas patentes Litteras de Persona huiusmodi faciendam de uno Beneficio Ecclesiastico saeculari, vel cuiusvis etiam Cluniacensis Ordinis Regulari, semel in Cancellarii, Praesidentium, Consiliarium, seu personae nominandae, & ordinarii Collatoris huiusmodi vita dumtaxat, ac per eundem ordinarium Collatorem provideri deberet, Apostolica auctoritate perpetuo concesserat, certis executoribus, qui in dictorum ordinariorum Collatorum negligentia personis, ut praefertur, nominatis, de Beneficiis huiusmodi providere possent, deputatis. Similis recor. Paulus Papa III. etiam Praedecessor noster, ad Supplicationem similis memoriae Francisci primi eorundem Francorum Regis ac Cancellarii, Praesidentium, & Consiliarium Parlamenti huiusmodi per quasdam, cum pro eo quod Cancellarius, Praesidentes, Consiliarii, & Personae Curiae huiusmodi, qui pro tempore fuerant, Litteris, & gratis huiusmodi uti, & illarum effectum prosequi forsitan praetermiserant, à nonnullis de viribus dictarum litterarum Eugenii Praedecessoris haesitaretur, litteras Eugenii Praedecessoris huiusmodi cum omnibus, & singulis in eis contentis clausulis, etiam ad hoc, ut Cancellarius, Praesidentes, & Consiliarii Parlamenti Parisiensis huiusmodi, tunc, & pro tempore existentes, Beneficia Ecclesiastica, saecularia vel regularia sub dictis gratis comprehensa assequi, & illis de eisdem Beneficiis, illorum pro tempore occurrente vacatione, per eosdem Ordinariorum collatores, aut certos per eundem Paulum Praedecessorem deputatos Iudices, provideri liberè, & licitè possent, ita tamen quod propterea personis Mandata & Mandatum juxta formam Capituli, & duarum sequentium Decretalium pro tempore habentibus praedictum aliquod non afferretur, nec praetextu nominationum in vim dictarum litterarum faciendarum à prosecutione Mandatorum huiusmodi excluderentur, dicta auctoritate approbavit, & confirmavit, ac nominavit, ac praedictis, & pro tempore existentibus, Cancellario, Praesidentibus, Consiliariis, & Personis, ut Beneficia Ecclesiastica, saecularia, vel regularia infra valorem ducentarum librarum Turonensium, gratiarum, expectativarum, seu Litterarum Mandati de providendo huiusmodi, ac nominationum per dictum Franciscum, & pro tempore existentem Francorum Regem, faciendarum huiusmodi vigore acceptare, seu recipere minimè tenerentur, indulsit. Et subinde cum pro eo, quod sub Litteris praedictis omnes, & singuli Episcopi, Abbates & Capitula, ac alii ordinarii Collatores dicti Regni comprehendi videbantur, à nonnullis nimis curiosis, & plusquam oportet sapere appetentibus, ac etiam S. R. E. Cardinales, ordinarii in dicto Regno Collatores sub eodem continerentur, in dubium revocaretur, in maximum eorundem Cardinalium, ordinariorum Collatorum, jurisdictionis ordinariae praedictum, idem Paulus Praedecessor per alias suas litteras decrevit, & declaravit, mentis suae nunquam fuisse, nec esse, Cardinales, qui tunc erant,

& pro tempore essent in dicto Regno ordinarii Collatores, sub Litteris huiusmodi quomodolibet comprehendi, neque Iudices per eum deputatos potuisse, aut in futurum posse personis, ut praefertur, nominatis, & de aliquibus Beneficiis sub eorundem Cardinalium Indultis comprehensis, providere, ac ideo Cardinales Ordinariorum collatores praedictos, Beneficia ad eorum ordinariam collationem spectantia, quibusvis personis, quibus eis videretur, liberè conferre valuisse, & in posterum valere, prout in dictis Litteris plenius continetur. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, Indultum huiusmodi haecenus servatum fuerit, & servetur de praesenti, sed nominationes, quae illius vigore fiunt, saepe non habeant effectum, quin imò parvipendantur, tum quia ordinarii Collatores praedicti, nominatis, Parochiales Ecclesias, etiam rurales, sive alia Beneficia curam animarum habentia annexam, interdum conferunt, quae ipsi nominati acceptare nequeunt, nisi eorum munera, quae continuam assistentiam requirunt, deferant, tum etiam quia valor annuus ducentarum librarum Turonensium in Beneficiis per nominatos acceptandis, per praedictas Pauli Praedecessoris Litteras determinatus, secundum praesentium temporum conditionem dignitati personarum memorati Parlamenti parum responderet, accidit quòd cum juxta vulgatam regulam, Regularia Beneficia Regularibus sunt conferenda, nec ullus inter personas ejusdem Parlamenti existat Regularis, qui Beneficia Regularia in titulum obtinere valeat, Indultum praedictum, sub quo comprehenduntur expressi omnes ordinarii Collatores Regulares, etiam Ordinis Cluniacensis, suo effectu hac in parte frustrari videretur, in grave nominandorum detrimentum. Quare pro parte Ludovici Regis, ac Cancellarii, Praesidentium, Consiliarium praedictorum nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus eos amplioris gratiae favore prosequi de benignitate Apostolica dignemur. Nos igitur attendentes ejusdem Ludovici Regis praecleara in nos Sedemque praedictam merita, ac Cancellarii, Praesidentium, & Consiliarium praedictorum qualitates, eosdemque Cancellarium, Praesidentes & Consiliarios, à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis, à jure vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus innodati existant, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes & absolutos fore censentes, ac Eugenii & Pauli Praedecessorum Litteras huiusmodi praesentibus expressis & insertis habentes, eisdem modernis, & pro tempore existentibus, Cancellario, Praesidentibus, Consiliariis, & Personis nominandis, ut de caetero gratiarum, expectativarum, seu Litterarum Mandati de providendo, ac nominationum per eundem Ludovicum, & pro tempore existentem Francorum Regem faciendarum huiusmodi vigore Beneficia Regularia, quae cessante eorum Commenda, per obitum illorum Commendatariorum pro tempore vacabunt, dummodo non sint Monasteria, neque Prioratus Conventuales, & verè electivi, neque Officia Claustralia, in Commendam acceptare, requirere, ac recipere valeant, illaque, ac quaevis alia Beneficia Ecclesiastica praedicta, Saecularia vel Regularia, infra valorem sexcentarum librarum Turonensium, seu Parochiales Ecclesias, aliave Beneficia Ecclesiastica curam animarum actualem habentia, acceptare seu requirere minimè teneantur, ac eisdem Ordinariis Collatoribus, ut Beneficia Regularia superius expressa Regis nominatis, ut supra commendare valeant, facultatem concedimus & indulgemus respectivè per praesentes: Decernentes, praesentes Litteras nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nulli-

ANNO  
1668.

ANNO  
1668.

tatis vitio, seu intentionis nostræ, aut quovis alio defectu notari, impugnari, redargui, limitari, infringi, modificari, retractari, seu in Controversiam vocari, aut adversus illas, quodcumque juris, facti, gratiæ remedium intentari, vel impetrari, seu impetrato, aut etiam motu proprio, atque ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine emanato vel concessio, quempiam in iudicio, vel extra illud uti, seu se juvare, nullatenus unquam posse, sed semper, & perpetuò validas, & efficaces existere, suosque plenarios & integros effectus sortiri, & obtinere debere, nec illas sub quibusvis similibus vel dissimilibus gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus comprehendere, aut comprehensas semper ab illis exceptas esse & fore, sicque per quoscumque Iudices Ordinarios, vel Delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Curie Camera Apostolicæ Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, ac Vice-Legatos & Nuntios in quavis instantia eis sublata iudicari & definiri debere, irritum quoque & inane, si secus super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Quocirca dilectis Sancti Dionysii, & Sancti Germani Parisiensis Monasteriorum Ordinis Sancti Benedicti Abbatibus, ac Archidiacono majori nuncupato Ecclesiæ Parisiensis, per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se vel alium, seu alios præsentis Litteras, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, & quoties pro parte Ludovici, & pro tempore existentis Francorum Regis, & Cancellarii, Præfidentium & Consiliariorum prædictorum, etiam pro tempore existentium, desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra præsentis litteras, & in eis contenta huiusmodi firmiter, & immobiliter observari, ac singulos, quos ipsæ concernunt, eis pacificè frui & gaudere, non permittentes eos desuper per quoscumque contra earundem præsentium tenorem quomodolibet molestari, contradictores quoscumque & rebelles per censuras Ecclesiasticas, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ecclesiasticis in quibus Beneficia ipsa, Ordinum quorum Beneficia Regularia extiterint, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus contrariis quibuscumque, aut si aliquibus communiter aut divisim ab eadem sit Sede indultum, quòd interdicti, suspendi, vel excommunicari non possint, per Litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de Indulto huiusmodi mentionem. Volumus autem, quod ii ex Regiis nominatis prædictis, quibus Beneficia Regularia, ut præfertur, commendari contigerit, infra octo Menses à die Commendæ sibi de illis factæ computandos, novam illorum Commendam à Sede prædicta impetrare, ac jura Cancellariæ Apostolicæ, & aliis propterea debita persolvere omninò teneantur, alioquin fructus non faciant suos, & ad illorum Restitutionem teneantur, & Commendæ ipsis, ut præfertur, factæ cessent, eisque cessantibus, Beneficia prædicta vacent eo ipso, quòdque in vacatione Beneficii Regularis Regiis nominatis vigore Litterarum huiusmodi pro tempore commendati, quod antea commendari non consueverat, sed immediato illius possessori tantum pro prima vice, seu forsitan etiam

cum decreto revertendi in titulum commendatum extiterat, Beneficium prædictum amplius commendari nequeat, sed ad pristinam tituli naturam reverti, & Personæ Regulari in titulum conferri debeat, & Commendæ aliter, & sine expressione præsentis Decreti factæ nullæ sint eo ipso, quòdque prædictæ Pauli Prædecessoris Litteræ in reliquis omnibus, & præsertim in ea parte, ubi declaravit, S. R. E. Cardinales, Ordinarios Collatores sub Indulto huiusmodi minimè comprehendere, salvæ, & illæsæ remaneant, ac omninò servari debeant. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, concessionis, indulti, decreti, mandati & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se noverit incursum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ 1667. sexto decimo Calend. Aprilis. Pontificatus nostri anno primo.

*Enregistré es Registres du grand Conseil du Roy, suivant l'Arrest ce jourd'huy donné en iceluy. A Paris le seizième jour de Novembre 1668.*

*Signé HERBIN.*

CLEMENS DECIMUS,  
PONTIFEX CCXLIII.  
ANNO DOMINI MDCLXX.

*Vide Compend. Vitæ in Magno Bullario Romano hujus Edit. 1727. Luxemb. Tom. VI. fol. 288.*

BREVE S. S. D. N.  
CLEMENTIS PAPÆ X.

Confirmationis, & novæ Concessionis Indulgentiarum, &c. pro Archiconfraternitate Cincturatum, & Cincturatarum nuncupata S. Augustini, & Sanctæ Monicæ sub Invocatione Beatæ Virginis Mariæ de Consolatione Bononiæ erecta in Ecclesiâ S. Jacobi. Anno 1675.

CLEMENS PAPA X.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

**E**X injuncto Nobis cœlitus Apostolicæ servitutis munere spiritualium gratiarum concessionibus ex pia, prudentique huius Sanctæ Sedis dispensatione providè emanatas, quibus Christi fidelium devotio ad pietatis opera incitatur, & confoveatur, Apostolici muniminis præsidio libenter constabimus, & aliàs desuper statuimus, sicut matura deliberatione prævia ad Omnipotentis DEI Gloriam, & animarum Salutem expedire in Domino arbitramur.

Dudum siquidem fel. rec. Gregorius Papa XV. Prædecessor noster omnia, & singula Privilegia, Indulgentias, Prærogativas, Facultates, Gratias, & Indulta quæcumque Archiconfraternitati Cincturatum, & Cincturatarum nuncupatæ S. Augustini, & Sanctæ Monicæ sub Invocatione B. Virginis Mariæ de Consolatione nuncupatæ in Ecclesiâ S. Jacobi Bononiens. canonicè institutæ, sive aliis quorumcumque locorum Confraternitatibus ei debite annexis, & illius, sive illarum utriusque sexus Confratribus Cincturatis pro tempore existentibus, tam per rec. mem. Gregorium XIII. & Gregorium XIV. quàm quoscumque alios Romanos Pontifices Prædecessores pariter nostros quandocumque, & quomodocumque, etiam per viam, & modum Extensionis, Ampliationis, & Communicationis, ac aliàs sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis Clausulis, & Decretis

catenus